



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Alamundaro Saraceno & nato eius Naamane. Caput II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



ius vnus vr̄bis gratia (Romam dico) virtus & fortuna societatem inter ipsas coiuerūt: at ipse equidem dicerem, pietatem veram & felicitatem in vno Mauricio ad hunc modum propterea coiuisse, quòd vera pietas felicitatem vi sua adesse coegit, & ne utiquam omnino eam euerti labefactarie passa est. His rebus confectis, Mauricius deinceps non corpus modo, verum etiam animum eximia purpura & corona vestiuit. Nam solus ferè ex imperatorum numero sibi ipsi imperare nititur, & imperator reuera factus, primū popularem perturbationum statum ex animo suo exigens: deinde statum optimatum in rationis domicilio constituens, viuum se virtutis exemplar præbere, quo subiectos ad se imitandum erudiret. Arque ista dicuntur à me quidem, non uti eum blanditijs & assentatione deliniam (cur enim amabo hæc à me ad eum finem dicerentur, cum ille, quæ ipse literis prodo, penitus ignoret) sed quòd tum dona à Deo ei tam munifice tributa, tum res, quæ tam varijs modis adeo prosperè & feliciter acciderunt, ea ita se habere liquidò ostendunt. Quæ sane omnia ex animo & ingenuè Deo accepta referre debemus.

*De Alamundaro Saraceno & nato eius Naamane. Caput II.*

**I**STE imperator præter cæteros omnes operam dabat, ut nullius sanguis, qui læsæ maiestatis reus fuit, omnino funderetur: & propterea ne Alamundarum quidè Scenatarum Arabum ducem, qui ipsum (ut ante commemorauit) prodiderat, multauit morte, sed vna sola insula expulsus cum vxore & quibusdam liberorum, iussit multæ loco in Siciliam demigrare. Quinetiam Naamanem huius filium, qui infinita mala in remp. inuexerat, qui vtraque Phœniciam & Palæstinam populatus fuerat, qui denique easdem regiones opera barbarorum, quos circum se habebat, eodem tempore, quo pater Alamundarus capiebatur, in seruitutem redegerat, cum omnes morti addixissent, in libera tenuit custodia, nulloque præterea supplicio affecit. Eadem quoque clementia erga infinitos alios ab eo ostentata est, uti singillatim, cum locus opportunus inciderit, declarabo.

De Io-